

The *Chrysostomus Latinus in Mattheum* Online (CLIMO) Project  
(<https://climo-project.wlu.ca>)

Omelia XXX. in Mattheum Iohannis Chrysostomi interprete Burgundio  
(BAV MS Vat. lat. 383, ff.108rb-111va)

Et secedens ihesus inde, uidit hominem in theloneo sedentem, matheum dictum, et dicit ei.  
Sequere me.

Commented [ND1]: [fol.108rb]

Cum fecisset enim miraculum, non permansit ut non zelum accenderet amplio-rem cum uideretur, sed largitur eis recedens, et passionem mitigans. Hoc et nos faciamus, non obstinaciter euntes ad eos qui insidiantur, sed mulceamus eorum uulnus, remittentes et linientes eorum robur. Sed cur non cum petro et iohanne et aliis eum uocauit? sicut illuc tunc accessit quando sciuit homines persuadendos, ita et matheum tunc uocauit, quando nouit cessurum. Propter hoc et paulum post resurrectionem piscatus est. Qui enim corda noscit, et ineffabilia mentis uniuscuiusque nouit, sciuit et quando unusquisque horum erat oboediturus. Propter hoc non in proemiis eum uocat, quoniam durius adhuc dispositus erat, sed post decem milia miracula, et multam de ipso famam, quando et aptiorem sciuit ad oboedientiam effectum. Dignum autem est et euangelistae ammirari philosophiam. Qualiter non occultat eius anteriorem uitam, sed et nomen ponit, aliis occultantibus eum nuncupatione alia. Cur autem dixit, quoniam in theloneo sedentem? monstrans uocatis uirtutem, quoniam non quiescentem, neque desistentem a pernitiosa hac machinatione, sed ex mediis ipsum euulsit malis. Sicut et beatum paulum insanientem, et rabiem patientem, et ignem emittentem transinutauit, quod et ipse ostensionem faciens, uirtutis eius qui uocauit, ait galathis. Audistis meam conuersationem, quandoque in iudaismo, quoniam secundum superhabundantiam, persequebar ecclesiam dei? Sed et piscatores in medio operum existentes, uocauit. Sed illud quidem ars quedam erat, non detrahenda quidem, hominum autem rusticus dispositorum, et non commiscibilium, et multam uilitatem habentium. Hec autem adinuentio, inuerecundia plena erat et pertinacitatis, et lucrum non habens occasionem rationabilem, et negotiatio in reuerenda, et rapina formam habens legalem. Sed tamen in nullo horum uerecundabatur qui uocauit. Et quid dico si publicanum non uerecundabatur, cum neque meretricem mulierem, non solum uocare non uerecundatus est, sed et osculari pedes eius, et rigare lacrimis permiserit ei? Etenim et propter hoc aduenit, non ut corpora curet solum, sed ut et animae malitiam sanet. Quod et in paralitico fecit, et monstrans manifeste, quoniam potest dimittere peccata, tunc ad hunc uenit, ut non ultra tumultuentur, publicanum uidentes in discipulorum connumeratum chorum. Qui enim dominus erat soluere delicta omnia, quid miraris si hunc apostolum facit? Sed sicut uidisti uocantis uirtutem, ita addisce et uocati oboedientiam. Neque enim restitit, neque dubitans dixit, quid hoc? numquid non deceptiua uocatione me talem uocat? etenim intemporena haec rursus est humilitas. Sed confestim oboediuit, et neque domum abire rogauit, et suis de hoc communicare, sicut nempe neque piscatores, sed quomodo illi rete, et nauigium, et patrem, ita et hic teloniacam artem, et lucrum dimittens sequebatur, preparatum ad uniuersa, consilium monstrans, et ab omnibus uitae huius rebus repente seipsum abscindens, testabatur oportunitati eius qui uocauit, per completam oboedientiam. Et quid est ait, quod non et de aliis dixit nobis, qualiter, et quomodo uocati sunt. Sed de petro, et iacobo, et iohanne, et philippo? De aliis autem nusquam? Quoniam hii maxime erant in inconuenientibus et humilibus studiis. Neque enim telonea aliquid est deterius, neque piscatione uilius. Quoniam autem et philippus ualde abiectorum erat, a patria manifestum est. Propter hoc istos maxime nobis

Commented [ND2]: uel gratificatur add. super lin.

Commented [ND3]: illos add. super lin.

Commented [ND4]: [fol.108va]

Commented [ND5]: [fol.108vb]

Commented [ND6]: uel mentem add. super lin.

Commented [ND7]: temporis add. super lin.

diulgant, cum studiis suis, ostendentes quoniam et in preclaris enarrationum, his credere oportet. Qui enim quae estimabantur iniuriosa esse, nichil uoluerunt derelinquere, sed ante alia haec cum diligentia diulgant, et in doctore, et in discipulis. Qualiter utique erunt in honestis suspecti? et maxime cum signa quidem multa et mirabilia transcurrunt, quae autem in cruce uidentur esse obprobria, cum diligentia clamant, et discipulorum studia et minorationes, et doctoris progenitores in peccatis diffamatos, clara reuelant uoce. Vnde manifestum est, quoniam multum ueritatis faciebant studium, et nichil ad gratiam neque ad ostentationem scribebant. Vocans igitur eum et honore maximo honorauit, mensa ei communicans confestim. Ita enim eum et pro futuris confidentem faciebat, et in amplio **liberam** presentiam ducebat. Non enim tempore longo, sed repente sanauit malitiam, et non cum eo recubuit solo, sed et cum aliis multis, quamuis et hoc uidebatur eius incusatio esse, quoniam non expellebat peccatores. Sed neque hoc occultant, ceu infamare temptantes ea quae ab ipso fiebant. Conueniunt autem publicani, sicut ad eum, qui erat eiusdem artis. Decoratus enim in ingressu christi omnes eos conuocauit. Etenim omnem speciem curationis christus mouebat, et non disputans solum, neque curans, neque arguens inimicos, sed et conuescens, emendabat multotiens, eos qui male dispositi erant. Per haec docens nos quoniam omne tempus, et omne opus potest tribuere nobis utilitatem, quamuis quae apposita erant tunc, ex iniquitate erant, et auaritas et non rennuuit christus ex eis assumere, quia magnum lucrum hinc erat facturum, sed et eodem tecto, et eadem mensa participat his qui haec deliquerunt. Tale enim est medicus, nisi enim sustineat saniem laborantium, non eruet ab egritudine eos. Quamuis pernitiosam hanc accepit doxam id est opinionem, et in comedendo cum ipso, et in domo eius, et cum multis publicanis. Vide nimirum eos hoc exprobrantes, ecce homo edax, et uini potator, publicanorum amicus et peccatorum. Audiant quicumque in ieiunio gloriam magnam, sibiipsis circumponere student, et excogitent quoniam dominator noster, edax et uini potator uocatus est, et non uerecundabatur, sed omnia despiciebat haec, ut propositum expleat. Quod et factum est. Etenim et transmutatus est publicanus, et melior ita effectus est, et ut discas quoniam magnum hoc expleuit in communicando ei mensa, audi quid ait zacheus, alius rursus publicanus. Quia enim audiuit christum dicentem, hodie in domo tua oportet me manere, a uoluptate allatus, medietatem eorum quae existunt michi, do pauperibus ait. **Etsi** cuiusquam aliquid **calumniose** abstuli, reddo quadruplum. Et ad ipsum ihesus ait. Hodie salus domui huic facta est. Ita per omnia, possibile est erudire. Et qualiter paulus ait iubet, siquis frater est nominatus uel fornicator, uel auarus, cum tali neque commedere? Maxime quidem nondum manifestum est, si et doctoribus haec suadet, sed non fratribus solis. Deinde hii neque perfectorum erant, neque fratrum effectorum. Cum his autem paulus et fratres effectos, tunc auertere iubet, cum permanserint. Hii autem iam erant quiescentes et transmutati, sed nichil horum phariseos conuertit, sed incusant discipulos dicentes. Propter quid cum publicanis et peccatoribus comedit magister uester? Et cum discipuli quidem uisi fuerint peccare, eum alloquuntur dicentes. Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet facere in sabbato, hic autem ad **eos** ei detrahunt. Que omnia malignantium erant, et uolentium abscindere a doctore chorum discipulorum. Quid igitur infinita sapientia? non necesse habent ait, ualentes medico, sed qui male habent. Vide qualiter eorum in contrarium conuertit sermonem. Illi enim incusationem faciebant **commorari** eum cum talibus. Ipse autem contrarium ait, quoniam non commorari, indignum eo, et sua filantropia id est amore hominum. Et non solum extra incusationem est corrigere hos tales, sed principale, et necessarium, et decemmilibus dignum est laudibus. Deinde ut non uideatur confundere eos qui uocati erant, indicendo qui male habent, uide qualiter id mulcet, rursus increpans eos, et dicens. Euntes autem discite quid est misericordiam uolo, et non sacrificium, scripturarum ignorantiam eis exprobrans. Ideoque **uehementius** utitur sermone, non

Commented [ND8]: [fol.109ra]

Commented [ND9]: letitia add. super lin.

Commented [ND10]: [fol.109rb]

Commented [ND11]: calumniatus sum add. super lin.

Commented [ND12]: loquentes add. super lin.

Commented [CN13]: id est add. super lin.

Commented [ND14]: durius add. super lin.

ipse iratus, absit, sed ut illi non aporientur, quamuis poterat dicere, non intellexistis qualiter solui peccata paralitici, qualiter corpus constrinxi, sed non dicit horum aliquid, sed a communibus cogitationibus, primum eos **alloquitur**, et tunc a scripturis. Dicens enim non necesse habent ualentes medico, sed qui male habent, et latenter ostendens seipsum existentem medicum, tunc dixit. Euntes discite quid est misericordiam uolo et non sacrificium. Sic et paulus facit, primum a communibus exemplis sermonem instruens et dicens. Quis pascit gregem ouium, et ex lacte eius non comedit tunc, et scripturas induxit dicens. In lege enim moysi scriptum est. Non infrenabis **bouem** trituranter. Et rursus ita dominis iniunxit his, qui euangelium annuntiant, ex euangelio uiuere. Ad discipulos autem non ita, sed signorum rememorat ita dicens. Nondum meministis quinque panum, quinque milia hominum, et quantos cophinos accepistis? Sed non ad hos ita, sed imbecillitatis communis rememorat, et monstrat et eos existentes imbecillum, qui neque scripturas nouerunt, et omnem reliquam uirtutem contempnentes, in sacrificiis totum ponebant, quod et ualde eos enigmatice insinuans id quod per prophetas omnes dictum est, in breui ponit dicens. Discite quid est misericordiam uolo, et non sacrificium. Per hec enim ostendit, non ipsum existentem iniqua agentem sed illos. Ac si diceret, cur accusatis me, quoniam peccatores corrigo? ergo et patrem isto incusate. Quod et alio, istud instruens dixit. Pater meus usque nunc operatur, et ego operor. Et hic rursus, euntes discite, quid est misericordiam uolo, et non sacrificium. Sicut enim ille hoc uult ait, ita et ego. Vides qualiter illa quidem sunt superflua, haec autem necessaria? Neque enim dixit, misericordiam uolo, et sacrificium, sed misericordiam uolo, et non sacrificium. Hoc enim iniunxit, hoc autem eiecit. Et ostendit non solum non prohibitum quod incusabant, sed et in legislationem deductum, et magis sacrificio, et uetus ipsum testamentum, inducit consona ei loquens, et in legislationem deducens. Tangens igitur eos et a communibus exemplis, et a scripturis, **inducit** rursus, non ueni uocare iustos, sed peccatores in poenitentiam. Haec autem ironice loquens ad eos dicit. Vt cum dicat, ecce adam factus est ut unus ex nobis. Et rursus, si esurieris, non tibi dicam. Quoniam enim nullus iustus erat in terra, paulus significauit dicens. Omnes enim peccauerunt, et deficiunt a gloria dei. In hoc autem et illos mitigauit qui uocati erant. Tantum enim absisto ait, abominari peccatores, quoniam et propter eos adueni solos. Deinde ut non resupinos magis eos operetur, dicens peccatores non siluit, sed adiecit in poenitentiam. Non enim ut peccatores maneant adueni, sed ut transinutentur, et fiant meliores. Quia igitur undique obstruxit eos, et a scripturis, et a rerum consequentia, et nichil habebant dicere, obnoxii incusationibus apparentes, quae inferebant ei, et contrarii erant legi, et ueteri testamento, dimittentes eum rursus in discipulos incusationem transferunt. Et lucas quidem ait, quoniam pharisei dixerunt, hic autem, quoniam discipuli iohannis. Decens autem est et utrosque hec dixisse. **Aporiati** enim illos ut decens est, secum accipiunt. Quod in herodianis postea fecerunt. Etenim zelotipe se semper ad ipsum habebant, iohannis discipuli, et ex contrario ei loquebantur. Tunc solum humiliati, quando in principio carcerem habitauit iohannes. Venientes ergo tunc, annuntiauerunt ihesu. Postea autem ad priorem reuersi sunt emulationem. Quid igitur aiunt? Propter quid nos et pharisei ieiunamus multum, discipuli autem tui non ieiunant? Hec est egritudo quam olim abscidebat **christus**. Cum ieiunaueris, unge caput tuum, et faciem tuam laua, quae ex eo generantur mala prouidens. Sed neque hos increpat, neque dicit, o uane gloriosi et superflui, sed cum **mansuetudine** uniuersa, eos alloquitur dicens. Non possunt filii sponsi ieiunare, donec cum ipsis sponsus est. Quando enim pro aliis sermo erat, pro publicanis dico, ut eorum offensam mitiget animam, uehementius increpauit eos, qui exprobrauerant. Vbi autem eum et discipulos conuitiabantur, cum mansuetudine uniuersa facit obuiationem, quod autem dicunt tale est. Etso tu ait ut medicus haec facis. Quid et discipuli tui dimittentes ieiunare, talibus mensis attendunt. Deinde ut maiorem faciant accusationem, primos seipsos ponunt, et tunc

Commented [ND15]: [fol.109va]

Commented [ND16]: cama add. super lin.

Commented [ND17]: [fol.109vb]

Commented [ND18]: hoc add. super lin.

Commented [ND19]: aggrauati add. super lin.

Commented [CN20]: dicens add. super lin.

Commented [ND21]: [fol.110ra]

phariseos comparatione, incusationem augere uolentes. Etenim et nos ait, et pharisei ieiunamus multum. Etenim ieiunabant hii quidem a iohanne discentes, illi autem a lege, sicut et phariseus dixit, ieiuno bis in septimana. Quid igitur ait ihesus? non possunt filii sponsi ieiunare, in quantum cum eis est sponsus. Primum quidem seipsum medicum uocauit, hic autem sponsum, ineffabilia misteria, per nomina hec reuelans, quamuis poterat grauius ad eos dicere, quoniam non estis horum domini uos, ut talia in legislationem deducatis. Que enim utilitas ieiunii, cum pernitie fuerit plena mens, cum alios incusetis, cum condempnetis trabes circumferentes in oculis, et ad ostentationem omnia faciatis? Ante haec enim uniuersa, uanam gloriam eicere oportebat, et alia uniuersa emendare amorem, humilitatem, dilectionem fratrum. Sed nichil horum ait, sed cum mansuetudine uniuersa, non possunt filii sponsi ieiunare, in quantum cum eis est sponsus. Rememorans eos iohannis uerborum per quae dixit, qui habet sponsam, sponsus est. Amicus autem sponsi qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter uocem sponsi. Quod autem dicit tale est, gaudii est presens tempus et leticiae. Non igitur introduc tristitia. Etenim triste est ieiunium, non natura, sed illis qui imbecillius adhuc dispositi sunt, quia his qui philosophari uolunt, et ualde uoluptuosum, est et concupiscibile. Sicut enim corpore sano existente, multa est laetitia, ita anima bene disposita, maior est uoluptas. Sed ad suspitionem illorum, haec ait. Ita et esaias de ipso disputans, humilitatem animae id uocat. Sed et moyses similiter, non tamen hinc eos obstruit solum, sed et aliunde dicens. Venient dies, cum auferetur ab eis sponsus, et tunc ieiunabunt. Per haec enim monstrat quoniam non gastrimargiae quod fiebat erat, sed dispensationis cuiusdam mirabilis. Simul autem et sermonem de passione permittit. In contradictionibus quae ad alios erant, erudiens discipulos, et exercitans meditari iam. Hoc dicere graue erat et honerosum, cum et postea dictum eis tumultum intulerit. Ad alios autem dictum minus honerosum fiebat. Quia autem decens erat eos et in passione iohannis magna sapere, et hunc hinc conerit tumorem. Sermonem denique de resurrectione nondum apponit. Nondum enim erat tempus. Hoc enim secundum naturam erat, hominem estimatum esse mori. Illud autem, super naturam. Deinde quod antea fecit, hoc et hic facit. Si enim temptantes monstrare eum incusationibus existentem obnoxium, in comedendo cum peccatoribus suasit contrarium, quoniam non solum non incusatio, sed et laus quod fiebat erat, ita et hic, uolentes eos eum enuntiare quoniam non nouit uti discipulis, monstrat, quoniam haec dicere, nescientium est, uti sequacibus sed simpliciter incusantium. Nullus enim immittit ait commissuram panni rudis, inuestimento ueteri. Rursus a communibus exemplis instruit hunc sermonem. Nondum effecti sunt fortes discipuli mei, sed adhuc multa indigent condescensione, nondum per spiritum renouati sunt. Ita autem dispositis non oportet grauedinem imponere preceptorum. Hec autem dixit, leges ponens et regulas suis discipulis, ut cum accipient discipulos uniuersos qui sunt ex orbe terrarum, cum multa eis applicentur mansuetudine. Neque mittunt uinum nouum ait, in utres ueteres. Vides exempla ueteri testamento similia, uestimentum utres? Etenim ieremias perizoma idem cingulum populum inquit. Et rursus utrum meminit et uini. Quia enim de castrimargia erat sermo et mensa, ab eisdem accipit exempla. Lucas autem et amplius aliquid ait, quoniam et nouum scinditur, si immiseris id ueteri. Vides quoniam non solum nulla fit utilitas, sed et amplior iactura? et dicit quidem, quod presens est, predicat autem, quod futurum est. Puta quoniam noui postea erunt, donec hoc fiet, nichil austerum eis iniungere oportet et graue. Qui enim ante tempus decens quaerit ait excelsa imponere dogmata, neque tempore uocante iam aptos inueniet, inutiles operans semel. Hoc autem non ob uinum contingit, neque ob suscipientes, sed ob importunitatem mittentium. Hinc nos et causam docuit humilium uerborum, quae continue a deo dicebat. Propter imbecillitatem enim eorum, multa dicebat defectiora sua dignitate. Quod et iohannes ostendens eum dixisse, ait, multa habeo dicere uobis, sed non potestis portare modo. Vt enim ne

Commented [ND22]: [fol.110rb]

Commented [ND23]: ieiunio add. super lin.

Commented [CN24]: castrimargiae add. super lin.

Commented [ND25]: discipulos add. super lin.

Commented [ND26]: a morte add. super lin.

Commented [ND27]: uel negare add. super lin.

Commented [ND28]: super add. super lin.

Commented [ND29]: [fol.110va]

Commented [ND30]: super add. super lin.

Commented [ND31]: discipuli add. super lin.

estiment haec esse solum quae dixit, sed et alia multo maiora imaginentur, imbecillitatem eorum in medium posuit, promittens cum efficientur fortes, et illa dicere, quod et hic ait. Venient dies cum auferetur ab ipsis sponsus, et tunc ieiunabunt. Ne itaque neque nos omnia ab omnibus expetamus in proemiis, sed quaecumque possibilia sunt, et uelociter et ultra incedemus. Si enim festinas et studes, propter hoc ipsum ne festines, quia studes. Si autem enigma quod dictum est uidetur esse, ab ipsa id rerum disce natura, et tunc uidebis eius uirtutem uniuersam, et nullus te eorum qui in temporanee incusant moueat. Quia et hic pharisei qui incusabant erant, et discipuli qui exprobrabantur. Sed tamen nichil horum suasit christum transponere suam opinionem, neque dicere uerecundia est hos ieiunare, et hos non ieiunare. Sed sicut optimus gubernator non turbatis procellis, sed propriae arti intendit, ita et christus tunc fecit. Etenim uerecundia erat non, non ieiunare eis, sed propter ieiunium in principalibus uulnerari, et findi, et rescindi. Hec igitur et nos excogitantes, ita propriis omnibus utamur, etsi mulierem amantem decorationem habueris, ad depictiones inhiantem et extollentem, et multa lasciua effusam, et loquacem, et inutilem, quamuis non est hec omnia in mulierem unam incidere, uerumtamen fingamus sermone mulierem talem. Quid igitur quoniam mulierem ait, et non uirum fingis? Sunt et uiri hac deteriores muliere, sed quia uiris supereminentia commissa est, propter hoc mulierem fingimus interim, non ut illic malitia superhabundante. Multa enim et apud uiros est inuenire, quae apud mulieres non sunt, puta homicidium, sepulcri uiolationem, pugnam cum bestiis, et multa talia. Ne igitur estimetis genus illud nos adnichilantes, hec dicere, non est hoc, sed ita utile est interim subscribere imaginem. Supponatur igitur nobis mulier talis, et studeat omni modo eam emendare uir, qualiter eam corriget? Non omnia repente, et simul iniungens, sed quae leuiores sunt primum, et a quibus non ualde detinetur. Si enim per omnia festinabis eam emendare a principio, omnia perdidisti. Ne itaque auferas aurum confestim, sed dimitte habere, et circumindui interim. Videtur enim hoc minus esse malum, depictionibus et subscriptionibus. Prius itaque illa destruatur, et neque illa timore et minis, sed suasionem, et ammonitionem, et per aliorum accusationem, et per tuam sententiam et consilium. Et dic ad eam continue, quoniam tibi non est concupiscibilis uisus ita decoratus, sed et ualde turpis, et suade maxime quoniam hoc te contristat. Et post tuam sententiam et aliorum opinionem induc, et dic, quoniam et pulchras hoc deformare assueuit, ut passionem auferas, et nichil nondum de gehenna dicas, neque de regno. Inaniter enim haec dices, sed suade ei, quoniam te delectat magis nudum demonstrans dei opus. Torquens autem uisum, et detendens, et puluerizans, neque apud multos uidetur pulchra et speciosa. Primum autem communibus cogitationibus et omnium sententiis, egritudinem expelle. Et cum his mollificaueris sermonibus, et illa appone, etsi semel dixeris, et non suaseris, et secundo et tercio et multotiens eadem reiterans uerba ne fatigeris. Non nimirum cum odio aliquo, sed cum leticia. Et nunc quidem auerte, et nunc blandire et adulare. Non uides pictores quanta delent, quanta inscribunt, donec uisum fecerint optimum? ne fias itaque illis deterior. Si enim illi corporis imaginem scribentes, tanto utimur studio, quanto magis nos animam componentes, omnem utique erit iustum monere machinationem? Si enim bene animae huius compones uisum, non uidebis corporis deformatam faciem. Neque sanguinea labia, neque os, ori ursae sanguine purpurato simile. Neque calce depicta supercilia, sicut abolla aliqua, neque puluere aspersas genas, secundum muros sepulchrorum. Omnia enim hec calx, et cinis, et puluis, et ultimae deformitatis cogitationes. Sed nescio qualiter latentur in hos deueni sermones. Et alium ammonens ut doceat cum mansuetudine, ipse in iram lapsus sum. Itaque reuertamur rursus ad mitiorem suasionem, et omnes feramus minorationes mulierum, ut emendemus quae uolumus. Non uides qualiter pueros ferimus lugentes, cum eos ab uberibus abducere uoluerimus, et omnia sustinemus propter illud solum, ut eis suadeamus contempnere primam mensam? Ita et hic

**Commented [ND32]:** Morale xxx. Quoniam qui uult inducere aliquem in uirtutem, parua quaedam debet primum ei suadere emendare. Eodem autem modo et in muliere diligente decorationem oportet facere. *notum in marg.*

**Commented [ND33]:** [fol.110vb]

**Commented [ND34]:** scilicet colorum *add. super lin.*

**Commented [ND35]:** fictam *add. super lin.*

**Commented [ND36]:** id est colorationum *add. super lin.*

**Commented [ND37]:** scilicet laxiua *add. super lin.*

**Commented [ND38]:** scilicet quae fratris dicta sunt *add. super lin.*

**Commented [ND39]:** id est aliarum quae hoc fecerunt *add. super lin.*

**Commented [ND40]:** [fol.111ra]

faciamus, omnia sustineamus alia, ut hoc emendemus. Cum enim hoc corrigetur, uidebis et aliud uia proueniens, et ad aurum rursum uenias. Et eodem modo, et de hoc similiter disputabis. Et ita paulatim emendans mulierem, eris pictor optimus, seruus fidelis, agricola profectus. Cum his rememora eam et ueterum mulierum, sarae, rebecca, et formosarum, et earum quae non talium. Et monstra omnes similiter sobrias fuisse. Etenim lia patriarchae mulier, formosa existens, non coacta est, tale aliquid excogitare. Sed et deformis existens, et non ualde dilecta a coniuge, neque excogitauit aliquid tale, neque uisum corruptit, sed mansit illibatum, conseruans caractherem. Et hec faciebat a grecis educata. Tu autem que fidelis es, quae christum habes caput, satanicam inducis machinationem, et non rememoras aquae circumdantis uisum tuum, hostiae decorantis labia, sanguinis purpurantis linguam tuam? Si enim haec omnia excogitaueris, etsi decemmilies diligens decorationes fueris, non audebis, neque sustinebis puluerem, et cinerem illum, superimmittere. Disce quoniam christo ad aptata es, et desiste ab indeformitate illa. Neque enim delectatur coloribus his, sed aliam exquirat pulcritudinem, quam et ualde concupiscit. Eamque in anima est dico, circa hanc te et propheta sollicitum esse, iussit dicens, et concupiscet rex pulcritudinem tuam. Ne itaque superfluum deformemus nosmetipsos. Neque enim imperfectum aliquod operum dei est, neque correctione indiget quae a te est. Neque enim si regali aliquis imagini postquam erecta est adicere temptauerit aliquid a seipso, non fallax est temptatio, sed ultimum sustinebit periculum. Deinde homo quidem operatur, et non adicis, deus autem operatur et emendas? et non excogitas gehennae ignem, non excogitas animae solitudinem? Propter hoc enim illa contempnitur, quoniam omne in carnem studium effunditur, et quid dico animam? Etenim ipsi carni contraria uniuersa contingunt eorum quae studetis. Scrutare autem uis pulchra apparere? hoc te deformem ostendit. Vis placere uiro? hoc eum magis contristat, et non eum solum, sed et exteriores accusatores construit fieri. Vis iuuenula apparere? hoc te cito ad senectutem ducet. Vis decorari? hoc te uerecundari facit. Que enim talis est, non eas quae eiusdem honoris sunt solum, sed et ancillarum conscias et famulorum scientes uerecundatur, et ante omnes seipsam. Sed quid oportet dicere haec? Quod enim omnibus difficilius est, hoc dimisi nunc quoniam deum offendis, quoniam sobrietatem suffodis. Quoniam zelotipiae accendis flammam, quoniam in tecto zelaris meretricantes mulieres. Hec igitur omnia reputantes, deridete satanicam ostentationem et diabolicam artem. Et decorem hunc dimittentes, magis autem in decorationem pulcritudinem illam construite in uestris animabus, quae et angelis est concupiscibilis, et deo delectabilis, et conuigibus uoluptuosa, ut presenti et futura fruamini gloria. Qua fiat omnes nos potiri, gratia, et filantropia id est amore hominum, domini nostri ihesu christi, cum quo patri, simul cum sancto spiritu gloria, imperium, honor, nunc et semper et in secula seculorum amen.

Commented [ND41]: correctum add. super lin.

Commented [ND42]: [fol.111rb]

Commented [ND43]: scilicet sis nusquam adicere add. super lin.

Commented [ND44]: [fol.111va]

Commented [ND45]: confundit add. super lin.